DISSERTATIO

N.° 53.

De Febre adynamicâ, seu putridâ;

Quam, juxta articulum XXXI *edicti consularis, die* 20 *prairialis anni* 11, *pro medici doctoris gradu adipiscendo, in celeberrimâ Medicinæ Scholâ Parisinâ, die* 7 *mensis julii, anno* 1808, *publicè tueri et dilucidare conabitur*

J. AYGOBÈRE.

(E Prefecturâ Gersensi)

DOCTOR MEDICUS;

Olìm Castrensis Medicus, è Societate institutionis Medicæ Parisiensis.

Quæque ipse miserrima vidi,
ÆNEID., l. 2.

PARISIIS,

E TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Typographi Scholæ medicæ parisinæ.

1808.

DOCTOR PRÆSES,

D. FOURCROY.

DOCTORES DISPUTATURI,

DD. SUE.

THILLAYE.

THOURET.

LEROUX.

PETIT-RADEL.

Decimo nono frimarii mensis die, anno 7, Scholæ medicæ Professores, opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se approbari nec improbari statuerunt.

OPTIMO NECNON DILECTISSIMO

FRATRI NATU MAJORI

L. A. AYGOBÈRE;

In perenne gratitudinis testimonium,

DICAT, VOVET ET CONSECRAT

J. AYGOBÈRE.

DISSERTATIO

De Febre adynamicâ, seu putridâ.

§. I.

INTER varia quibus miseri homines affligi solent mala, plurima quidem recenseri possent quorum cognitio permagni momenti atque ponderis est, utpotè quòd agris et civitatibus vastitatem inferant. Cujus generis sunt nonnulli morbi epidemici aut contagiosi quorum descriptio ab auctoribus celeberrimis adumbrata fuit.

Verumtamen cùm rarò medicus de iis rectè loqui valeat quæ priùs non viderit aut sensu judicârit, quasdam tantùm, non mediocris tamen momenti, quæstiunculas excutiemus de *febre adynamicâ*, seu, ut aiunt multi, *putridâ*. Quod morbi genus in brevissimo quidem praxeos nostræ curriculo haud semel observavimus, præsertìm cùm medicam artem in castris olim exerceremus, necnon ab eo tempore cùm frequentes fuerimus in publico Parisiorum nosocomio, ubi tyrones ad medicinam clinicam à benevolente, liberali eruditoque professore (1) informantur.

Febris autem de quâ nunc disserere nobis in animum venit, diversa apud auctores sortitur nomina. *Typhus* enim, ut nonnullis

(1) D. *Leroux*.

saltem arridet, ab *Hippocrate* (1), et *synochus putris* à GALENO (2) nuncupatur. Diversa verò nomina sibi vindicat apud recentiores. Alii scilicet, inter quos *Sydenham*, hoc morbi genus *febrem pestilentialem* (3), alii autem, ut *Max. Stoll* (4), *febrem putridam* appellant. Quas nuncupationis species, ut parùm morbi naturæ congruas, confutare nuperrimè aggressus est antecessor *Pinel*, primusque omnium *febrem adynamicam* (5) proprio nomine salutare ausus est.

Neque de solo morbi nomine, sed etiam de ipsius origine, indole, simplici aut implicito progressu, atque curatione theorici et practici disputârunt. Quorum controversias atque lites componendi via nulla procul dubio quadrat magis, quàm accurata et genuina febris monographia, scilicet causarum quibus gignitur, symptomatum quibus stipatur, et remediorum quibus impugnatur descriptio.

§. II.

De Causis Febris adynamicæ, seu putridæ.

Si *Huxhamo* fides, adynamicæ seu putridæ febri obnoxiores sunt homines quibus solidorum laxitas major humorumque crasis justo tenuior est (6). Eos verò imprimìs hoc mali genere affectos observatio docet quorum corpora nimio labore defatigata, vires anterioribus morbis penè exhaustæ, mentes tristi aut vehementi pathemate exesæ aut agitatæ sunt.

Nocivæ autem vel morbificæ potestates quæ huic febri ansam

(1) Epid. lib. 7.
(2) De differ. febrium, lib. 1, c. 9.
(3) Med. pract.
(4) Aph. de cogn. morbis.
(5) Nos. phil. cl. 1, ord. 4.
(6) *Huxham*, t. 2, p. 41.

et occasionem præbent, quæ sunt : aer insalubris non renovatus, præsertìm si loca angusta, humida et depressa fuerint, utì carceres, nosocomia, castra, naves; effluvia quæ paludibus, purgamentorum receptaculis, vegetabilibus aut animantibus putridis vel ad pùtredinem vergentibus emanare solent, itemque cubilibus ubi plures ægri jacent sive adynamicis sive atactis febribus correpti, gangrænâ carieve consumpti, scorbuto resoluti; corporis illuvies, ut in iis observatur qui purgandis puteorum aut latrinarum fæcibus operam navant, quique vestimenta priùs non mutant quàm squalidâ sorde conspurcata fuerint; quibus etiam causis adjungenda sunt pravæ indolis alimenta, præsertìm si putrescere incipiant, ut si quis imprudenti haustu aquam biberit stagnantem in quâ vegetabilia aut animalia digesta sunt; aromaticorum, alcalinorum, mercurialium abusus; excretio aut evacuatio nimia, præsertìm copiosior spermatici liquidi deperditio, ut iis accidit qui crebriori aut vehementiori ad coitum prurigine sollicitantur, œstroque venereo penitùs mancipati inserviunt.

Hanc quoque febrem non semel resorpto pure generatam fuisse observatum est; neque ab eâ immunes censendi sunt qui otiosiori vitâ liquescunt mollitiâque fluunt. Frequentiùs tamen affligi solent qui nimio labore exercentur, pervigiliis consùmuntur, præsertìm si noctis vices inter pocula, aut scortationes, aut acerrima studia peragant. Huic deniquè morbo viam aperire solent tristitia, sollicitudo, angor, metus, et omnes animi affectus quibus humanum genus miserè vexatur. Neque tamen omittenda perversa morbi anterioris curatio, cùm scilicet protractiori debilitantium usu febres inflammatoriæ, biliosæ aut mucosæ impugnantur. Incauti ergò sunt practici qui acutos morbos curari posse non existimant, nisi vena pluries ægris incisa fuerit.

Ex supradictis liquet febrem adynamicam, seu putridam, eos sporadicè afficere qui de recto hygienes tramite deflectunt, Baccho scilicet Venerique aut gulæ nimiùm indulgentes. Endemica quoquè grassatur in regionibus quarùm incolæ graves et lethiferos

paludum vapores perpetuò inspirant. Tandem morbus ille epidemici seu vulgivagi morem gerit, quoties causa in omnia simul aut successivè individua illabitur, remoto omni ætatis, sexûs atque habitûs discrimine, utì sæpiùs in provinciis observatum est, quæ adeò gravi et flagellatâ urebantur annonâ, ut ipsarum habitatores vili corruptoque alimento vitæ tenuitatem sustentare cogerentur.

An febris adynamica, seu putrida, contagio generatur? Multùm abest quin omnium medicorum hâc de re judicia opinionesque concordent. Alii (1) enim contagium admittunt quod volatili sibique propriâ indole in nervos agens, sanguini aliisque humoribus putredinem inducit; alii verò, præsertìm recentiores, omnem contagii atque putredinis ideam rejicientes, febrem de quâ nunc agitur ab omnibus quibus summa debilitandi vis inest, sive physicis, sive moralibus oriri existimant. Prætereà in omnibus quæ passìm de putridâ febre contagiosâ leguntur observationibus, plurima recensentur symptomata quæ majorem minoremve nervosi systematis læsionem indicant. Ergò exempla illa non ad putridarum, sed atactarum, seu malignarum febrium ordinem revocanda esse sana ratio docet; quod sequentibus etiam et infrà dicendis confirmare conabimur.

§. III.

De Symptomatibus Febris adynamicæ, seu putridæ.

Febris adynamica, seu putrida, variis symptomatibus stipatur, pro morbi periodo, typo, genere, simplici vel implicitâ indole.

I. Nunc subitò et sine prodromis ingruit; nunc verò præludere solent gravis aut perversa ciborum concoctio, carebaria, seu obtusus capitis dolor, vix superabilis ad somnum propensio; ægri

---

(1) *Wintringham*, pag. 318, *quæst.* 57. — *Selle*, Rudim. Pyreth. method.

stupent, et, quasi temulenti vinoque capti, titubanter incedunt; ipsorum membra dolent; totum aliquandò corpus hebes est; mox superveniunt horror aut rigor, quibus succedunt calor generalis, acris, ingens, inquietudo, morositas, agitatio.

Ingravescente morbo, lingua fit ex viridi-flava, subobscura, nigra, tremula, porrigi impotens; humida primùm, deindè sicca, arida et quasi lignea videtur; gingivæ, dentes orisque cavum integrum fuligine obducuntur; ægri fætidâ olent animâ, siti vehementi ardent, difficilè deglutiunt, sordes varii coloris, sufflavas, virides aut obscuras vomitu reddunt; alvus autem nunc suppressa, nunc cita est; dejectio sæpè involuntaria, nigra, fœtida; abdomen aliquandò distentum et sublime murmurat; pulsus, ab exordio plenus, fortis, mox parvus, mollis, tardus aut frequens, sæpè durus est; quandoquè caput aut pectus humorum congestione opprimuntur, sanguis è naribus, ore, ano aut genitatibus sponte fluit; variæ corporis partes vibicibus, petechiis, aut ecchymosibus fœdantur; respiratio ut sanis, celer aut tarda; calor mordax, major aut minor; cutis sicca, sudor frigidus, glutinosus, aliquandò fœtidus, nunquàm generalis; urina nulla aut involuntaria, primò citreum aut obscurum colorem refert, mox turbulenta cinereum sedimentum exhibet; oculi rubent aut ex viridi flavent, lippiunt, illacrymant, invertuntur, hebescunt; visus auditusque deficiunt, gustus et olfactus sæpè depravantur; perseverant cephalalgia obtusa, stupor, somnolentia, quibus superaccidunt vertigo, insomnia, subdelirium. Ægri indifferentes statu vix tanguntur; interrogati neutiquàm vel tardè respondent; prostrati resupinique jacent; faciem collapsam, ut aiunt, *Hippocraticam* habent; erumpunt aliquandò parotides cum vel absque symptomatum remissione; cutis ictericum sæpè colorem refert; stimulata parùm vel minimè rubet, ulcerataque gangrænâ tabet.

Hæc porrò symptomata multùm pro ætate, habitu, sexuque variant. Nunc gradatìm ad summam intensitatem perveniunt, nunc verò fulminis instar subitò ingravescunt et ægros enecant.

2

II. Febris adynamica ut plurimùm *continuæ* (1), quandoquè *remittentis*, raiò *intermittentis* formam induit. In primo casu, morbus uno eodemque tenore ab initio ad finem usque pergit, modò tamen paroxismos seu symptomatum exacerbationes exceperis. In aliis verò casibus, febris ardor identidem remittit, seu regularibus aut irregularibus interrumpitur accessibus quotidie, tertiâ, vel quartâ quâcumque die revertentibus et frigore caloreque stipatis. Remissiones autem et intermissiones plerumquè apud eos observari solent qui chronicis affectibus jam debilitati sunt, quorum scilicet abdominalia viscera aliquid detrimenti ceperunt.

Indè varia putridæ seu adynamicæ febris duratio. Si continuum typum observat, intra septem, quatuordecim, septemdecim, viginti unum, quadraginta dies, seriùs ociùsve absolvitur. *Remittens adynamica* ultra quadragesimam diem plerumquè progreditur; intermittentis autem finis incertus et indefinitus est.

III. Neque sola semper observantur febris adynamicæ phænomena; implicantur enim aliquandò cum primarum viarum colluvie, cum biliosâ (2) aut mucosâ (3) febre. Typhus quem *icterodem* vocant (4), et occidentalibus insulis endemicum narrant, quid aliud est, præter adynamicæ simul et biliosæ febris copulationem? Morbus etiam cui *carcerariæ febris* nomen à D. *Pringle* inditum est, quæque nosocomia depopulari solet, conjunctis simul febris adynamicæ et atactæ symptomatibus stipatur.

An febris adynamica cum inflammatoriâ seu angiothenicâ existere possit? Multùm hâc de re disputârunt practici. *Max. Stoll* (5) quasdam febres inter putrido-inflammatorias recensuit, quòd earum

---

(1) *Hipp.* lib. 1, Epid.
(2) *Pinel*, Med. clin.
(3) *Vagler*, de morbo mucoso.
(4) *Sauvages*, t. 2, class. 2, ord. 4.
(5) Ephemerid. ann. 1778.

symptomata non remitterent, quòd ægri calore arderent, eorumque lingua aresceret, quòd deniquè, phlegmasiæ peculiares labente mense supervenirent. Hanc verò malorum copulam rarò observatam fuisse monet D. *Selle* (1), cujus etiam opinioni suffragatur antecessor *Pinel*. Undè manifestum est eam febrium conjunctionem ab iis admitti solùm qui febrem quâ phlegmasiæ quæcumque stipantur *inflammatoriæ* titulo insigniunt. Eâ autem admissâ hypothesi, febris inflammatoria cum adynamicâ dubio procul coexistere potest. Febrem quoque inflammatoriam in putridam seu adynamicam degenerare posse nemo ibit inficias, si calidâ et alexipharmacâ aut nimiùm debilitante medendi ratione impugnata fuerit. Verùm febris inflammatoriæ sensu proprio acceptæ cum adynamicâ implicatio haud secùs repugnat quàm simultanea motûs et quietis, luminis et tenebrarum existentia. Cæterùm desiderantur adhuc simultanei hujus malorum concursûs exempla.

§. IV.

De Diagnosi Febris adynamicæ, seu putridæ.

Suam et genuinam adynamicæ seu putridæ febri naturam et indolem recusare quicumque ausus fuerit, non risum quidem, sed fastidium moveret, quippè quòd practici febrem ab aliâ quâcumque distinctam ament, cùm propriâ causâ generatur, proprioque symptomate stipatur. Ergò febris adynamica cum inflammatoriâ aut biliosâ aut mucosâ confundi nequit, nisi virium prostratio aut collapsus pro ipsarum erectione aut energiâ habeatur. Attamen in plethoricis qui sanguine abundant, cùm inflammatoriâ febre detinentur, vires aliquandò ità opprimuntur, ut incautis prostratæ appareant, et stimulantia aut excitantia pro debilitantibus adhibeantur, quo erroris genere pejus et infelicius quidquam profectò excogitari nequit. Nullum autem superesse poterit errandi periculum, si, quam

---

(1) Pyreth. method.

practici nôrunt, virium prostrationem inter et ipsarum oppressionem distinctio adamussìm constituatur. Hinc enim vitalis energia, quasi propriâ onusta mole, moram sibi facit, illinc verò penè exhausta deficit.

Quidam etiam, licet optimæ notæ, medici adynamicam seu putridam febrem cum atactâ confundunt, et utramque *malignæ* nomine salutant; verùm distinctio adeò facilis est, ut cujuslibet etiam minimè attendentis pungat oculos. Nam prior in irritabilitatis aut contractilitatis et sensibilitatis imbecillitate, posterior verò in utriusque anomaliâ seu irregularitate consistit; undè vires in iis qui adynamicâ febre laborant, prostratæ, in iis verò qui atactâ febre, perversæ aut anomalæ observantur. Aliquandò tamen, uti jam monuimus, utriusque simul morbi symptomatibus afficiuntur ægri, quæ malorum copula, omnium quidem gravissima et infaustissima, imminentem principii vitalis ruinam aut dissolutionem portendit. Tandem practici quidam febrem putridam ab adynamicâ distinctam volunt. Posteriorem enim abesse quoties aliquod vel minimum motûs signum superesse videtur; priorem verò in majori minorive ægri debilitate, dejectionum et excretionum fetore, oris et dentium fuligine consistere asserunt. Verùm hæc distinctionis species nonne varios potiùs ejusdem morbi gradus, quàm morbos diversi generis dispescit?

Quod ad intimam febris adynamicæ naturam spectat, id à quâdam humorum putredine oriri nonnulli autumant (1); neque desunt hujusce opinionis fautoribus variæ argumentorum species quibus rem nisi certam, saltem vero proximam reddere student. Fœtidum enim dejectionum, sudoris et urinæ odorem, citam cadaverum resolutionem atque subviridem sanguinis venâ extracti colorem, quæ in febris supradictæ decursu observari solent, alii causæ tribuere nolunt, quàm peculiari fermento quod liquidorum crasim solvens, totam œconomiam coinquinat, ipsique corruptionem aut putredinem ma-

(1) *Galen.* loco citato.

turat. Indè antisepticæ seu antiputridæ medelæ præconium, necnon subtilia quorumdam scriptorum (1) de putridâ humorum dissolutione commentaria. Verùm hæc theoreticæ species ab ævi nostri scriptoribus inter ridiculas et chimericas consectationes rejicitur. Chimici enim, qui tot et tantis laboribus de medicâ arte meriti sunt, quique sanguinis aliorumque humorum crasim ad intimas usque moleculas perscrutati sunt, haud putridi quidquam, etiam apud adynamicâ febre et scorbuto detentos, invenerunt. Prætereà quisnam, etsi sagacissimo ingenii acumine præditus esset, solidorum aut liquidorum dissolutionem corruptionemve superstite vitâ concipere posset? Quomodò varia œconomiæ organa propriis fungerentur muneribus, si ad putredinem vergerent? Aut quomodò ægri adynamicâ febre correpti sanitatem vitæque integritatem recuperarent, si in morbi decursu jam putrescerent? Absurda quidem eorum opinio quæ febris illius causam ab occulto putredinis fermento repetit, cùm sexcenta sint in physicis et in moralibus quæ ansam ipsi et occasionem præbent. Absit igitur ut in malè olente et nauseam movente putredinis doctrinâ diutiùs immoremur; namque jam ad utiliora redeundi locus est.

§. V.

De Prognosi Febris adynamicæ, seu putridæ.

Varius est febris adynamicæ exitus, pro variâ symptomatum intensione, vario corporis habitu, ætate, etc.

Si morbus sensìm mitescat turbulentumque lotium cum cinereo sedimento reddatur, alvo simul compactam et homogeneam materiem ejiciente; vel sudor generalis et calidus superacciderit, aut parotides abscessusque eruperint, rediturae sanitatis spes affulget; sin minùs symptomata continuò ingravescant, summum ægris periculum imminet.

---

(1) *Huxham.*

Surditas, vergente febre, superveniens, bonum, præsertìm cùm res ægri cæteræ bonæ sunt, ætas adhuc firma, variæque functiones sanis simillimæ.

Deglutitio difficilis aut impossibilis, lingua porrigi impotens, sordes nigræ, copiosæ, fœtidæ, vomitu vel secessu rejectæ, excreta involuntaria, ventris meteorismus, malum.

Pulsus parvus, debilis, abnormis, intermittens, malo est.

Spiritus celer, difficilis, frigidus, singultus, hæmorrhagiæ passivæ, petechiæ, sudor frigidus et viscidus, urina nigra vel suppressa, lethale.

Summa virium prostratio, tendinum subsultus, coma et anæsthesia, præsertìm si organa nullo moveantur stimulo, ad ultima ventum esse indicant.

§. V I.

De prophylaxi Febris adynamicæ, seu putridæ.

Ex enumeratis adynamicæ seu putridæ febris symptomatibus manifestum est quanti medici fecerint tam tetrum et lethiferum morbum amovere. Cui sanè obtinendo proposito nihil idoneum magis, quàm si causæ quibus foveri et generari solet destruantur aut obtundantur. Detergenda ergò corporis illuvies balneo, vestimenta sæpè mutanda, utendum alimento salubri coctuque facili, abstinendum ab animalibus et vegetabilibus putridis aut in putredinem vergentibus; corpus moderato motu exercendum, nunquàm verò defatigandum neque debilitandum; nimiæ evacuationes non sollicitandæ, Baccho non indulgendum, Venus refrænanda, nam immodica aut frequens corpus solvit (1); moderanda quoque animi pathemata quibus corpus exedendi vis inest.

Hinc patet quàm sedulò invigilandum ne annona quâ provinciæ aluntur ipsis seminia mortis inferat. In nullâ re indormiendum est, cùm de publicâ salubritate agitur; stagnantibus aquis danda pro-

---

(1) *Celsus*, de re medicâ.

clivitas; purganda cloacalia flumina; domus ad habitandum percommodæ extruendæ; ædes in civitatibus, plateis, non angiportis, separandæ, ut aer ventilari renovarique possit.

Cùm autem loca perangusta quædam, ut nosocomia, carceres, navigia, contubernia, cryptæ, templa, insalubri vel contagioso miasmate coinquinata sunt, expurgatione opus est, ne pestifera labes indè exorta ad cives quaquaversùm propagata provinciis aut urbibus populationem inferat.

Plurimæ autem laudabantur olim substantiæ quibus inquinata et fetore infecta expurgandi loca virtutem inesse fama fuit, nimirùm aceti aut baccarum juniperinarum, aut concremati sacchari vapor; quorum tamen efficacia præjudicatis vulgi opinionibus, non experientiâ et observatione innitebatur. Quamobrem hodiernis etiam temporibus adhuc certa putridam tabem extirpandi ratio desideraretur, nisi detecta fuisset *Guytoniana* methodus (1), quæ palmam sibi vindicat, et quâ non efficacior altera. Celeberrimus autem Galliarum chimicus qui supradictæ methodo suum nomen indidit, summam ex acidis suffimentis utilitatem percepit, cùm præsertìm ex acido muriatico aut muriatico hyperoxygenato aut nitrico vaporem suscitaret. Huic enim methodo ad purgandas putridas nosocomiorum, carcerum, navigiorum, templorumque sordes summam efficacitatem inesse, non in Galliarum imperio solùm, sed etiam in gentibus exteris compertum est.

Suprà dictis verò substantiis non eadem omnibus utilitas aut efficacia tribuitur. Acidum enim muriaticum hyperoxigenatum omnium efficacissimum et applicatù facillimum est; gaz autem acidum muriaticum, quod ex muriate sodæ per acidum sulfuricum extrahitur, fidenti animo ad purgandas ædes amplissimas adhiberi potest. Minor quidem efficaciæ gradus inest vapori nitrico, qui ex nitrate potassæ per acidum sulfuricum educitur, quoniam ad minorem distantiam expanditur;

---

(1) Traité des moyens de désinfecter l'air; par M. *Guyton-Morveau*, troisième édition.

verumtamen cùm nimia metuenda est pulmonum irritatio, summoperè prodesse potest, ob minimam ipsius acritudinem. Gaz acidum sulfuricum, quod ex combusto sulfure producitur, nimiùm pulmones irritaret atque respirationi noceret; sua tamen illi superest utilitas, cùm de purgandis vestimentis, aliisve objectis agitur. Acidum aceticum aliave acida vegetabilibus extracta inungendo fovendoque corpori tantùm inservire possunt.

Quæ antisepticorum genera præparandi et adhibendi methodus, variaque ipsorum quantitas, pro variâ purgandi loci capacitate, in laudati suprà chimici opere memorantur.

§. VII.

De Curatione Febris adynamicæ, seu putridæ.

Si variorum auctorum opera de curandæ putridæ aut adynamicæ febris methodo exploraveris, concordiam nullam, sed dissensionem potiùs reperias. Alii quidem, monentibus *Sydenhamo*, *Huxhamo*, *Pringlio*, etc., sanguinem à primo morbi insultu detrahi volunt; alii verò, inter quos doctor *Smith*, oppositam tuentur opinionem, et sanguinis emissionem internecivam clamant.

Quidam tamen practici, quorum mentis sententia melior est, variam pro morbi symptomate, typo et implicatione medelam commendare solent. Quamobrem, si febris adynamica miasmatibus generata sit, meraco aut alcohole protinùs impugnanda est; mox, supervenientibus accidentibus, emesis cienda, ut mali fomes penitùs aut partìm expellatur. Id medelæ genus potissimùm juvat, cùm primæ viæ impurâ colluvie sordent, aut bronchia muco obruuntur; indè enim minui solent epigastrii tensio, anxietas, nausea, oris amarities, pectoris oppressio. Cavendum tamen ne sanguinis circulus nimiùm acceleretur, aut vehementior moveatur calor; alioquìn copiosior oriretur sudor, quo æger debilitatus colliquesceret.

Quibus ità prægressis, dandi potus diluentes et aciduli, decocta nimirùm mucosa et acida vegetabilia, aqua hordeacea aut avenacea, limoniorum aut aurantiorum succus aquâ dilutus, tartris acidulus potassæ solutus.

Ingravescentibus autem morbi symptomatibus, vires sustentandæ aut erigendæ sunt, ne omninò labantur. Quam ob causam summoperè prosunt medicamenta ex meraco, alcohole, camphorâ, arnicæ montanæ floribus et radicibus, ethere, amaris, peruviano cortice, aquâ gelidâ, acidis mineralibus, sinapi et cantharidibus, quibus stimulandi vim inesse multiplici argumento evincitur.

Neque medicamentis solùm curationis spes volvitur. Insuper astantes et ministri dare debent operam ut varia observentur hygienes præcepta: aer idcircò sæpè renovandus est, excreta procul amovenda, ne fetore noceant; vestimenta quoties opus est mutanda, corpus diligenter mundandum; cutis oxycrato illinienda, addendus ægris animus.

Si phænomena epigenesica superaccidant, impugnanda sunt, ne medicatrices naturæ vires interturbari valeant. Itaque, cùm delirio vexatur æger, vino et roborantibus abstinendum est; aer refrigerandus; caput aquâ rosaceâ, oxycrato illiniendum; crura calidis fomentis fovenda sunt.

Si sudore colliquescat æger, sæpè renovandus aer, infusio aromatica, aut frigida, aut aqua vino mixta, aut acidum sulfuricum ad gratum usque saporem danda sunt.

Cùm copiosior alvi fluxus nimiùm debilitat, ad absorbentia, mucosa, opiacea, parcam psycotriæ emeticæ aut rhabarbari dosim recurrendum est.

Cùm parotides intument, summum ægris periculum imminet, quòd fiat vel futurus sit humorum coitus ad encephalum; quo in casu, permulti practici suppuratos, quidam autem resolutos tumores amant; priores igitur parotidibus quas metastasticas habent emollientia superimponunt cataplasmata, ut suppurationi fa-

veant; posteriores verò eas, ut morbi symptomata resolvere cupientes, ammoniacali linimento inungunt, aut hirudinibus exsugunt, adhibitis intereâ vesicantibus ad brachia vel femora, quò faciliùs ab encephalo deflecti queat humorum congestio. Ultimam curandi methodum felici cum successu in Hafniensi nosocomio (1) adhibitam fuisse legitur, eique suffragatur antecessor *Pinel*, quamvis ut specificam non habeat.

Supradicta quidem medendi ratio ad febrem adynamicam simplicem spectat. Cùm autem de superandis implicati morbi symptomatibus agitur, varia, pro febris implicantis indole, usurpanda medela. Itaque, si inflammatoriæ aut angiothenicæ febris symptomata acciderint, ad refrigerantia sola vel stimulantibus mixta recurrendum est (2). Si putrida biliosaque febres simul extiterint, emetica et cathartica initio quidem convenire possunt, sed ingravescente morbo tonicis et stimulantibus opus est (3). Febris autem adynamica, seu putrida, cum pituitosâ implicata, psycotriâ emeticâ primùm, mox aromaticis, camphorâ et tonicis felicissimè impugnatur.

Cùm febris adynamica remittentis aut intermittentis formam induit, haud dissimili medelâ curatur. Danda ergò tonica et excitantia, ut in variis continuæ putridæ speciebus. Cortex peruvianus, cujus tantam adversus morbos intermittentes quoscumque efficaciam practici laudant, imprimìs adhibendus, licet felicem non semper sortiatur effectum.

---

(1) Selecta diarii nosocomii reg. Hafn.

(2) Vide *Stoll*, Ephem. 1779.

(3) *Bancq*, opere citato.

HIPPOCRATIS APHORISMI

(*Edente J.-B. Lefebvre de Villebrune*).

I.

In febribus non intermittentibus, si externa sunt frigida, interna autem urantur, atque sitis ægrum premat, mortale quid est. *Sect. IV, aph.* 48.

I I.

In febre non intermittente, si labrum vel supercilium, vel oculus, vel nasus divertatur; si æger nil videat, si nil auditu percipiat, viribus jam fractis, quodcumque ex his obtigerit, præstò mors est. *Ibid., aph.* 49.

I I I.

Quibus lacrymæ destillant ex oculis involuntariæ, in febribus acutis, ominosum. *Ibid., aph.* 52.

I V.

Si corpus febricitantium idem superficie tenùs perseveraverit, nec pro intensione febris emacrescat, vel contrà si magis quàm pro ratione emacretur, malum est; illud enim morbi diuturnitatem, hoc verò virium debilitatem significat. *Sect. II, aph.* 28.

V.

In siccitatibus febres acutæ fiunt. Si verò perseveraverit annus talis, maximam partem, qualem reddidit constitutionem prævalentem actu, morbos indoli hujus constitutionis plerosque consentaneos expecta per annum. *Sect. III, aph.* 7.

V I.

Quibuscumque aures obsurdescunt in febribus acutis, sanguis sat largè fluens è naribus, aut alvi profusio, solvit morbum. *Sect. IV, aph.* 60.